

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 96. (*Neovidensis* 1806. Nro. 90.)

Ex Campis Elysiis

Dissertatio Politica

De causis turbarum in Europa.

Elysium.-Menn.-Die Veneris 21. Novemb. 1806 (Neov. 7. Nov.)

S e n t e n t i a :

Religio modo non est Dea nationalis, sed domesticata.
Joannes Paul.

Historia Christianitatis Saeculi 18. est memoratu dignior, violentior, et magis turbulenta, quam praeteritorum temporum. Diversi in ea occurrerunt casus, multum oppugnabatur, et undique in eam fiebant impetus. Ecclesia Christiana multo periculosiores experta est hostes, quam olim: occultae aggressiones minabantur ei interitum.

Non, uti quondam una religiosa opinio aliam refellebat, et alter alterum in numerum haereticorum referebat, sed toti doctrinae, universae fidei arma illata sunt, omne revelationis systema cum vehementia, et captiose impetitur, ne quidem historiae instar valere permissum est, et hoc novum bellum singulari audacia, deinde vero cum furore gestum; Quid autem inde consecutum est, et sequi debuit? interitus religionis, et cum ea interitus etiam Reipublicae. Religio non

fuit amplius dea nationalis, sed domestica; eheu! illa postea una cum suis beneficiis abdidit se — in tuguria.

Inexperta juvenus magno cum gaudio delegit, risuque exceptit, quod ad animi affectiones, hac aetate furentes, refraenandas, et in ordinem redigendas valebat. Lubentianimo arripuit arma, videbantur enim ejus crimina excusare; avidissimeolvebat libros, licentiam vivendi continentis. Senes et experti dabant operam, ut torrenti huic ponerent repagula, et initio quidem conatus eorum non fuit cassus; verum educatio jam erat corrupta, quid quid doctrina Christi praescripsit, rejectum est, et damnatum. Quisque sibi finxit religionem suis affectibus faventem, praecepta divina irrisa sunt. Haec animadvertunt Senes, et experti, sed emendare amplius non poterant. Libertas cogitandi, et agendi erat unicum solatium sceleratorum, et (ubi morabaris? providentia!) bellum juvenum contra senes (hoc enim fuit sic dicta revolutio) enatum est. O Parentes! et vos juventutis magistri! inquirete in hunc moralem fontem nostri praesentis status, atque diligenter expendite!

Ultimis praeteriti saeculi diebus venerat Politica in contentionem cum religione. Religio nos voluit probos, Politica autem formare divites. Religio sua doctrina ipsos pauperes reddit opulentos, docet enim moderari animi motus; divitem autem facit pauperem spiritu, praescribendo eidem modum, quo debeat possidere bona terrena, iisque uti. Hac

ratione tam divitem, quam pauperem sua sorte contentum effecit. At vix fuit haec doctrina repudiata, illico corrui etiam Politicae aedificium, et inter pauperem, ac divitem ventum est ad manus.

Heu! status, in quo lamentamur, est opus providentiae. Vidit irrisorem, qua doctrinam Christi explosimus, observavit nos ejus favoribus nuncium remittentes, avertit oculos a nobis: Abominatio successit abominationi, confusio confusio, bella bellis. Jam in quolibet, etiam sceleratissimo surgit desiderium praeteritorum felicium temporum, jam oritur diffidentia erga illos, qui a regulis sanctae doctrinae deflexerunt, jam suspicimus coelum, conquerentes de infelici, et inquieto rerum statu, jam intuemur totum, quantus est, inimicum Christianitatis — In medio turpissimarum affectionum, vitiorum, et iniquitatum — nobismet ipsis absque omni spe relictis, inter incertitudinem, et perturbationem positi, praesentibus afflicti, et conscientia futurarum apud inferos poenarum dilaniati. — *Ecce homo!*

Casselis 5. Novembris. Die Domini mane repente comparuit ante portam Lipsiensem primum agmen suae Excellentiae Marschalli Mortier, et circa meridiem maxima ejus pars ingressa est nostram urbem, acceptis apud cives hospitibus; Reliqui constituerunt in vicinia. A meridie advenerat etiam Rex Hollandiae sed jam heri cum prima luce discessit. Copiae Hassicae sunt bello captae. Galli occuparunt omnes portas, et excubias:

Modus eorum agendi est exemplo, sed etiam gallicorum Praefectorum conatus ordinem conservandi, oneraque civium mitigandi maximam meretur laudem.

Hac occasione sequentia Acta publici juris facta sunt: Nota, quae die 21. Octob. 1806 vespere intra horam 11. et 12. per Suae Majestatis Imperatoris Gallorum, Regis Italiae etc. Negotiorum gestorem Serenissimo Principi Hasso-Cassellano, Campi Mareschallo Borussico porrecta est.

Subscriptus negotiorum gestor Suae Majestatis Imperatoris Gallorum, et Regis Italiae habet mandatum declarandi Serenissimo Principi Hasso-Cassellano, Suae Majestati Imperatori optime constare de accessu Aulæ Hasso-Cassellanae ad coalitionem Borussicam, quem in finem convocatos esse dimissos milites, equitatu distributos equos, Hanoviam re frumentaria, et copiosis armatis instructam.

Frustra igitur sua Majestas Malsburgio suae Serenitatis Ministro Parisiis significavit, omnem apparatus bellicum ex parte Serenissimi Principis Hasso-Cassellani pro actu hostilitatis esse habendum. In locum enim responsi Aula Hasso-Cassellana suo ministro Malsburgio imposuit, peteret litteras committat, et domum reverteretur.

Ex quo tempore copiae Borussicae Cassellas ingressae summo cum gaudio Principis haeredis, et Generalis Borussici exceptae sunt, imo ipse eas induxit in Civitatem; Et haec quidem legiones pertransiverunt Hassicas pro-

vincias, impetum facturae in gallos ad Francofurtum.

Quo facto gallici exercitus positio Generalibus Borussicis necessitatem impesuit, revocandi suas copias, et ad Vinariam colligendi ad committendum praedium.

Quapropter Borussi non recesserunt ob neutralitatem Hassiae, sed exigentibus id bellicis rerum adjunctis.

Praeterea toto tempore, quo alea belli incerta erat, Aula Hasso-Cassellana non destitit armare suos, esto Caesar planum fecerit, se id hostilitatis loco habiturum.

Cum itaque exercitus Borussicus victus sit, et ultra Viadrum profligatus, inconstante, ac imprudenter ageret Generalis exercitus gallici, si exercitum Hassicum collectum permitteret, qui semper paratus foret gallos, forte clade affectos, a tergo adoriri.

Quocirca subsignatus speciale accepit mandatum declarandi, securitatem gallici exercitus postulare, ut Hanovia, et omnes Hasso-Cassellanae regiones occupentur, ut arma, tormenta, armamentaria gallico exercitui debeant tradi, ut denique omnia adhibeantur medta, quibus eidem a tergo contra vim hostilem quam Domus Hasso-Cassellana indicaverat, securitas praestetur.

In hoc rerum situ videndum est, an Princeps Hasso-Cassellanus velit vim vi repellere, et in suo regno theatrum belli excitare.

Cum vero cum tali scena politica missio nequeat conciliari, subscriptus jubetur petere litteras pro abitu, ut illico possit recedere.

S. Genest.

Quam rem excepit die 1. Novembris sequens proclamatio :

Nos Eduardus Adolphus Casimirus Josephus Mortier, Regni Marchallus, Generalis tribunus turmae praetoriae Suae Majestatis Imperatoris, et Regis, Magnae crucis honorariae legionis, et ordinis Christi eques, supremus Dux octavae divisionis magni exercitus ad populum Hassicum.

Incolae Hassiae!

Venio ad occupandam vestram provinciam. Hoc est unicum remedium liberandi vos a calamitatibus belli.

Testes fuistis violati per copias Borussicas vestri territorii; aegre tulistis benignitatem, qua illas accepit Princeps haereditarius; Quoniam praeterea et vester terrae Princeps, et ejus filius militant apud Borussum, convenit, ut eidem obsequantur, attamen dignitas terrae Principis cum praestando alteri Genti obsequio, et subjectione exterorum tribunalium nequit consociari.

Vestra religio, leges, mores, privilegia salva erunt, disciplina militaris servabitur. Quod vos attinet, vitate seditionem; confidite in supremo capite, a quo vestra sors pendet, et a quo mera emolumenta potestis sperare.

Datum in primario hospitio Casselis 1. Novembris 1806.

Eduardus Mortier.

Allocutio, quam fecit Imperator, et Rex ad gallicum exercitum:

Athletae! superastis meam expectationem et fiducia gallici populi vos dignos reddidistis. Omnes difficultates tali animo pertulistis, quali ipsos conflictus subiistis. Dignissimi estis defensores honoris meae coronae, et gloriae magni populi. Quamdiu his spiritibus fueritis animati, nemo erit vobis resistendo. Equitatus cum peditatu, et ministris rei tormentariae concertabat adeo, ut nesciam, cui debeat palma attribui — Omnes estis praeclari milites; Attendite jam ad consectoria laborum nostrorum:

Una e primis potentis Europae militari-
bus, quae non ita pridem ignominiosas ad
nos detulit propositiones, in nihilum redacta
est. Sylvas, fauces Franconiae, Salam, et
Albim, quae Majores nostri spatio 7 anno-
rum non superassent, intra 7 dies transivi-
mus, & quidem quater confligendo, et unum
praelium committendo. Berolinum, & Pots-
damum ante erant in nostra potestate, quam
rumor nostrarum victoriarum eo pervenisset.
In manus nostras venerunt 60 milia, in qui-
bus numerantur 20. Generales, eripimus ho-
sti 65 vexilla; et cum illis etiam ad turmam
praetoriam Borussicam spectantia, 600 tor-
mentis potiti sumus, et tria propugnacula ce-
pimus. Interim medietas vestri conqueritur,
ne semel quidem solvisse scloppam. Omnes
provinciae Monarchiae Borussicae usque ad
Viadrum nostro parent imperio.

Milites! Russi gloriantur oblatam sibi
esse occasionem nobiscum congregandi, ibi-
mus eis obviam; ne tantum illis conficiendum

sit iter in medio territorii Borussici invenimus iterum Austerlitz. Natio, quae magnanimitatis, quam illi post illam pugnam exhibuimus tam cito oblita est, ubi ejus Imperator, eius Aula, et reliquiae exercitus suam salutem tantum in concessis induciis invenit, est natio quae nobiscum cum successu nunquam dimicabit.

Interea, nobis contra Russos proficiscentibus, conscribantur demi novi exercitus, qui propediem aderunt ad defendendas nostras victorias. Omnis meus populus arma caput indigae ferens turpes condiciones nobis a Ministris Borussicis in suo delirio propositas. Nostrae viae, et munimenta plena sunt conscriptorum, qui ardent cupiditate vestris insistendi vestigiis. Non dabimus amplius ausam deceptoriae paci, nec prius deponemus arma, quam coegerimus Anglos, perpetuos nostrae nationis hostes, ad abjicienda consilia, turbas concitandi in continente, et ad renuntiandum tyrannidi marium.

Milites! Non possum mea erga vos sensa clarius exprimere, quam affirmando, amorem, quo me quotidie prosequimini, altissime esse animo meo infixum.

Datum in nostro Caesareo principe hospitio Potsdami 26. Octobris 1806.

Napoleon.

Ad mandatum Caesaris, Generalis excubiarum Magister magni exercitus. Princeps Neocomensis, et Valangimus

Mareschallus Alex. Berthier.